



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Refutatio Accusatoris Anonymi Damnatas ab Innocentio XI. Propositiones adscribentis Ordinum Religiosorum Theologis ac præcipuè Societatis Jesu

Estrix, Aegidius

Moguntiaë, 1679

Propositio LIX. Licet Sacramentaliter absoluere dimidiatè tantum
Confessos ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest
contingere in die magnæ alicujus festivitatis aut indulgentiæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42472

natae citasset Adria. Lovan. Doct. in 4. de Sacram. confess. ubi de reditu peccatorum quaest. ultim. pag. 146. col. 4. ubi postquam impro- baverat, & refutaverat Doctrinam S. Thome de exponendis in confessione, saltem indirecte, peccatis dimissis, quantum sufficit, ut debita satisfactio imponatur, sic ipse docet: *Quamvis saepe expedit in confessione exponere peccata prius dimissa saltem in genere, ut magis humilietur confitens, & melius ei consulere possit Confessor; non obligatur ad hoc de necessitate salutis.* Censet ergo Adrianus, ne quidem ut melius ei consulere possit confessor exponendam esse consuetudinem peccati à poenitente. Coniectura fiat, quid de eo casu dicturus fuisset, quo de consuetudine interrogat confessor.

Citans denique accusator *multos alios Patres omnium ordinum* sine dubio religiosos intelligit omnium ordinum: in quo rursus prodit infirmitatem animi sui. Videre avemus illum Catalogum multorum religiosorum ex omnibus Ordinibus.

PROPOSITIO LIX.

Licet Sacramentaliter absolvere dimidiatè tantum Confessos ratione magni concursus poenitentium, qualis v. g. potest contingere in die magna alicujus festivitatis aut indulgentiae.

Sic ait docuisse quosdam Jesuitas Lovaniū,
non credimus decepti toties.

Edisserat quis Lovanii Jesuita, quando,
quibus verbis id docuerit; saltem aperiat quo
probabili fundamento id affirmarit. Interea
Jesuitis nemo vir æquus vitio vertet affirma-
tionem hominis ad criminandum præcipitis,
ut jam apparuit toties.

Hoc mihi constat Ægidium de Coninck,
qui unus Lovanii Jesuita commentarios suos
edidit de Sacramento Pœnitentiæ, doctrinam
illam rejecisse ut improbabilem, & refutasse
operose valideque *disp. 7. dub. 9. n. 93. & 94.*
Alios mihi exhibeat accusator Lovanienses Je-
suitas, aut omnino Jesuitas, vel Religiosos
Theologos, qui quæstionem tractarint, fallor
si vel unus inter illos erit, qui doctrinam ap-
probarit.

PROPOSITIO LX.

Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi con-
tra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi
emendationis spes nulla appareat, nec est neganda
nec differenda absolutio; dummodo ore proferat, se
dolere & proponere emendationem.

Hanc propositionem ait esse traditam à
Baunio etiam verbotenus *p. 1. Tract. 2. q. 22.*
pag. 100. citat quoque Jesuitam Sanchium in
selectis disputationibus *d. 16. n. 16.*

Po-